Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

Molter, Johann

[Karlsruhe], 1783-1800

[Hoffmann, Philipp Christian]: Societati latinae Marchicae valediscit, 17 März 1798

urn:nbn:de:bsz:31-99849

Visual Library

539.

Societati latinae Marchicae
valedicit
P. C. Hoffmann. A. I. R.
d. 17. Merz. 1798.

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Director gravisſime,
Socii ornatisſimi!

Angit animum jam jamque adpropinquans hinc discedendi necesſitas. Locum ergo, amicos et cognatos, mei amantisſimos, quibus toto ipſe animo addictus fui, nunc relinquere cogor, et, quae quidem maxima doloris mei cauſa eſt, ipſum hunc venerabilem virum, doctorem dilectisſimum, qui alter mihi pater contigit, qui errantem me corrigeret, a vitiis absterreret, mentem meam efformaret, aegrum foveret me, et quidquid dedecet hominem, abhorrere adſuefaceret me, qui porro per omne genus ſermonum, comitatem ſeveritatemque et ſenſuum atque affectuum conſenſionem apte conjungeret. Ea cuncta jam relinquere coactus qui posſim non imo dolore cruciari?

Accedunt alia. Hoc ipſum quoque collegium, cui ante biennium adſociare me dignabatur gravisſimus director, relinquere tristis necesſitas jubet. Oblata mihi fuit amplisſima occaſio cognitionem meam locupletandi, et quum idem vobis etiam, Socii carisſimi, finis eſſet propoſitus, hoc quaſi communi vinculo, in conſenſum et amicitiam trahebamur. – Evocat me officii ratio ad gratias Vobis, Socii et amici, inprimisque Tibi, optime Doctor, pro beneficiis, quae vobis debeo, peragendas. Equidem ſentio

verborum vim mihi deeſſe, ut digne ſatis exprimam, quae animo volvo. Convertat se igitur oratio ad preces et vota. Precor ego ſane ut numen ſupremum omne Tibi bonum quam longiſſime concedat, ſanitatem corporis, hilaritatem animi et tranquillitatem Tibi largiatur, cariſſime Director, ut quaevis mala abs te avertat, et quidquid vel perminimam partem te afflixerit, profliget, vitamque tuam quibuscunque modis gratam efficiat; quo poſſint perlongum adhuc temporis ſpatium et alii, uti nos, inſtitutione et eformatione tua, et amore tuo frui. — Exorabo Deum ut aliquando in Patriam redux, in quo magnum acerbae diſceſſionis levamentum invenio, eundem te, amicum, auctorem, ducem, monitorem, patrem habeam. Vosque amici et ſodales, e quorum memoria mihi perſuadeo non poſſe utique me effluere, veſtras preces cum meis conjungite. Nullius aevi oblivio delebit, quem habuerimus te. Vale igitur venerabilis vir! Valete amici! Et tu vale, ſtudiorum meorum amiciſſima ſedes, mentis meae larga inſtructrix et fundatrix fortunae meae! Valete omnes!!!